HONORIUS AUGUSTODUNENSIS, UNVOLLSTäNDIG

Entstehungsort unbestimmt, 12. Jh. Seite 12r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35480
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

illi, ut propheta credidit. In hac nocte invitatorium non cantamus, quia fraudulentam Herodis invitationem cum magis declinamus. In sexto tamen loco psalmum Venite canimus, quia sexta etate mundi gentes ad fidem venisse plaudimus. In tercio nocturno antiphonam Fluminis impetus et psalmum Deus noster refugium psallimus, quia tercio tempore flumen baptismatis civitatem Dei scilicet ecclesiam letificasse cognovimus. Ideo in tercio nocturno alleluia frequentamus, quia in tercio tempore per baptismum leticiam advenisse annunciamus.

De Oct. epiphanie.

In octava epiphanie baptismus ecclesie celebratur, sicut in antiphona Veterem hominem, que tercia in sinu declaratur. Ideo autem in aqua baptizabatur, quia hoc elementum quod igni contrarium comprobatur, fomite vero peccati ignis pene accenditur, sed per aquas baptismatis extinguitur. Ideo hanc spiritus sanctus in principio fovisse legitur. Aqua que sordes abluit, sitim extinguit, imaginem reddit. Ita nos baptismate a sordibus peccatorum lavamur, a fonte vite potamur, in imaginem Dei renovamur. Dominica post xii dies legitur euangelium Cum factus esset Ihesus annorum duodecim, quia sicut post xii dies natalem, post xii annos factum commemoramus. Dominica que octavam sequitur, idem euangelium Nuptie facte sunt legitur, quia sicut post septimanam, ita nec post annum hoc factum traditur. In octava sancte Agnetis scribitur Agnetis secundo de nativitate, quia illa die nata dicitur.

De Purificat. s. Marie.

Ypapanti dicitur obviatio, quia hac die Symeon et Anna obviaverunt Domino, cum Maria et parentes ad templum detulerunt. Ideo autem octava die circumcisus, post xl dies in templo est representatus, quia nos corpore et anima si in hac vita circumcisi, eundem post completionem decalogi legis per iiii euangelia in celeste templum introducemur. Cum hac die processionem agimus, quasi Domino cum Symeone et Anna occurrimus. Quod hodie processionem cum luminibus facimus, hoc ex more gentilium suscepimus, quos in hoc mense cum luminibus lustrasse cognovimus. Per ceram quippe candele Christi humanitas, per lumen eius mortalitas, per lumen exprimitur ipsius divinitas. Christus per ceram est lumen sanctorum, ignis urens impiorum. Ideo candelas in figura Christi manibus tenentes clamamus: Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Hoc ideo in festo sancte Marie agimus, ut cum quinque prudentibus virginibus accensis bonorum operum lampadibus sponso Christo obviemus, et per sanctam Mariam ad nuptias celestis urbis intremus. Mulieres in hoc sanctam Mariam